

1529 terra, marique mercari: benigne, atque humaniter cum illis ageretur, perinde ac si incolæ, & subditi illius Principis essent, cujus civitates, locaque adirent; ne vis, aut injuria ulla de causa inferretur; jus quamprimum administraretur; nulli ex eorum ditionibus, instructis armis, navigiis, nisi prius obsidibus de injuriis non inferendis datis, egredi liceret; terra, marique piratæ, ac prædones grassari in alterius Principis subditos probiberentur.

X. Respublica vero quascumque civitates, agros, castra, oppida, loca, lacus, flumina, actiones, jurisdictiones, jura tunc obtineret, pacifice, quiete, & secure possideret.

XI. Quicumque post motum inter Maximilianum Imperatorem, & Venetos bellum usque ad pacem anni M. D. XXIII. Cæsari, aut Ferdinando adhaeserant, atque ob id bonis multati, aut damnati fuerant, perpetratorum venia daretur; captivi, deportati statim utrinque libertate donarentur.

Hæc pacis conditionibus continebantur: foederis hæc summa fuit.

Quod licet quæ superius exarata fuerant, firma satis viderentur; tamen ea firmioribus fundamentis innixum iri censebant, si arctius vinculum foederis accederet: propterea Imperator, ac Respublica una cum Ferdinando Rege, ac Francisco Sfortia Mediolani Duce, foedus invicem percusserunt, quo se ad mutuam defensionem pro ditionibus, quæ in Italia possiderent, perpetuis temporibus adstringerent; se, suæque adversus Reges, Principes, Potestates, Dominos, aliosve cujusvis gradus existerent, quacumque etiam suprema dignitate fulgerent, tutarentur; iis, quæ sequuntur, conditionibus adjectis.

Franciscum Sfortiam pro Insubrum defensione quingentos Italicos cataphractos semper in promptu habiturum, Cæsar pollicetur.

Si qui Reipublicæ aut Mediolanensi ducatu hostes arma inferrent, copias admoverent, exercitumque in Italia ad eorum ditiones invadendas instructum haberent, cum octingentis cataphractis, quo in numero quingenti, de quibus
nuper